xlv De peccato indiscrete permissionis
xlvi De verbo ocioso. et quid sit ociosum et cetera.
xlvii De multiloquio. et de hijs que cohibent ab eo
xlviii De turpiloquio.
xlviiii De hijs que cohibent a scurrilitate
l. De indiscreta taciturnitate. quod semper tacere viciosum sit.
li Quod nimia taciturnitas reprehensibilis sit, paupertate implicans.
lii De viij. remedijs contra peccatum lingue de silencio claustralium. et que bona faciat silencium.

Collatio de verbo illo ewangelico: Negociamini dum venio.

Monachus quidam qui diu sub disciplina sancti Benedicti religiose vixit. attendens illud verbum quod dominus dicit in ewangelio. Negociamini dum venio. cogitavit intra se dicens. Ex quo claustrum intravi. tam senex. quam omnibus que habui renunciavi. Unde tibi o domine ihesu christe valeo negociari non habeo. Non aurum. non argentum est michi. Ad hec misericors dominus qui novit cogitationes hominum respondit. O monache si paupertatem habes. inde negociari potes. Monachus. Paupertatem habeo cum propheta qui dicit. Pauper sum ego et in laboribus a iuventute mea. Et iterum. Ego autem egenus et pauper sum. Sed tu deus adiuva me. Et iterum. Ego sum pauper et dolens. Ad hec dominus. Non doleas o monache si pauper es pro me. Ego cum dives essem. pauper factus sum pro te. Et de hac paupertate. si spiritualis est. potes celestes divicias acquirere. Paupertatem non sum spiritualis sum. ... Monachus. Paupertatem habeo voluntariam quam est venale precio. Dominus. Quantum tibi pro illa dabo. Monachus. Non minus quam regnum celorum. Dominus. Magnum postulasti. Monachus. Et tu magnum in ewangelio promisisti dicens. Beati pauperes spiritu. quoniam ipsorum est regnum celorum. Dominus. Ex verbo meo assumpsisti. Ecce habes quod petisti. quia verba mea falli non possunt. Quid dicis michi si habes aliquid aliud venale. Monachus. Mansuetudinem habeo venale. Dominus. Illam emere volo. Dic quid pro ea exigis. Monachus. Terram posco. Dominus. Terram tibi dabo magnam et fructiferam. Monachus. Non terram quam homines moriuntur sed terram de qua propheta dicit. Credo videre bona domini in terra vivencium. Dominus. Magna petis. magna habebis. Sed si adhuc habes quod vendere velis dic michi. Res minimas habeo. Monachus. nescio si de illis habes ad faciendum.

Dominus. Quas habes manifesta. Monachus. Lacrimas. Dominus. Has valde diligo. Ad maxillam meam descendunt. Et illa delicta peccata abluunt. que oraciones abluere nequeunt. Dic ergo michi. quid pro illis habebis. Monachus. Consolacionem. sicut in ewangelio promisisti dicens. Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur. Et sicut propheta dicit. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo. consolaciones tue letificaverunt animam meam. Dominus. Bonum in negociacione es. fiat tibi sicut petisti. Quid amplius habes venale. Monachus. Duo habeo venalia. que non habes. sed habuisti. videlicet famem et sitim quas pro te passus sum. Dominus. Michi dico hec pro me passus es. quia hec talia gustavi passus sum pro te. Et maius opus est tibi michi vendere. quam in emere. Sed tamen quid pro illis vis. Monachus. Saciari cum propheta qui dicit. Saciabor cum apparuerit gloria tua. Dominus. Fiat peticio tua. Quid adhuc habes venale. Monachus. Misericordiam. pro qua volo misericordiam. sicut dixisti. Beati misericordes. quoniam misericordiam consequentur. Dominus. Magnam petis. illam habebis. Monachus. Domine quia omnia mea venalia optime a me comparasti. quoddam ornamentum preciosum tibi ostendam. Dominus. Quale est illud. Monachus. Mundiciam cordis. Dominus. Hanc multum diligo. et familiaris est michi in omnibus meis loquitur quantum vult. Sed revolve michi illam ut videam. Monachus. Non est revolvenda nisi in loco mundissimo et secretissimo. quia immundicia spiritus eam inquinare conatur. Dominus. Me presente non est timendum. Tunc monachus revolvit ei mundiciam cordis. Et quod dominus vidit scripture. Cor mundum crea in me deus et cetera. Et dominus. Quid tibi pro ea dabo. Monachus. Visionem tuam. sicut dixisti. Beati mundo corde. quoniam ipsi deum videbunt. Dominus. Videbis me cum sanctis meis quando iusti fulgebunt sicut sol in regno patris mei. quia nemo vivens in isto videbit me. Monachus. Nonne abraham vidit te. Dominus. Vidit utique. sed non corporeis oculis. Monachus. Nunc fiat mecum voluntas tua in terra hic et in futuro. Dominus. Quid amplius habes venale. Monachus. Pacem habeo. Dominus. Quid pro illa vis. Monachus. Filius tuus esse sicut dixisti. Beati pacifici quoniam filii dei vocabuntur. Dominus. Filius meus eris. si in bono proposito quod cepisti perseveraveris. Monachus. De me non confido. sed te auxiliante perseverabo. Dominus. Habes plus venale.

Mo. Persecutionem habeo propter iustitiam. Do. Si persecutionem habes pro me, consolationem habebis ex me. Sed tu dic quid pro illa exigis. Mo. Regnum celorum. Do. Regnum celorum habebis, si persecutionem sustinueris tolerans. Item Do. Octo preciosa ornamenta mihi vendidisti. Scis que sunt? Mo. Prescire volo. Do. Hec ornamenta octo sunt beatitudines, sine quibus non venitur ad regnum celorum. Sed nunc dic mihi ubi ea acquisisti, et de quo ea attulisti? Mo. Numquam de claustro exivi, sed ibi die ac nocte corpus meum affligendo et obedientiam servando auxilio tuo acquisivi. Do. Quid faciebas quando in collationes occurrebat? Mo. In die collationis mediam exquisivi [illegible] non eum in sua recep. Do. Quare habes oculos ita rubeos et excoctos? Mo. Quia anticipaverunt vigilias oculi mei, et quando me sopor preoccupabat ante tempus, tunc eum [illegible] bar, sed non eum locutus. Do. Quando tacebas, quid cogitabas? Mo. Cogitavi dies antiquos et annos eternos perpetue felicitatis in mente habui. Do. Sapienter laborasti. Laborando adversarium superasti. Illam vocem audies que dicit: Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium domini tui. Quod nobis prestare dignetur ihesus Christus qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

De conversione Cosolrini Regis Tartarorum.

Cum devotissimus Rex Francie Lodowicus cum fratribus suis Roberto comite Atrebatensium et Alfunso comite Pictavensium et Karolo comite Andegavensium in terra sancta subsidium ministraret et Damiatam civitatem Egypti nobilissimam obtineret, audivit quod Rex Tartarorum matrem christianam habebat et licet filius gentilis esset, christiane tamen fidei diligens sectator esset, fratrem namque eius Regem Indie christianum occiderat et filiam eius duxerat in uxorem. Sperans igitur pius Rex Francie quod Regem Tartarorum tam matris quam uxoris gratia mollire possit ad christiane fidei pietatem, misit ad illum duos fratres predicatores et duos fratres minores, per quos misit eidem capellam ex bisso instar tentorii et omnia utensilia illius aurea, quibus altari necessaria sunt, cum aliis xeniis preciosis. Quibus intrantibus et maria peragrantibus venerunt ad illum et ab eo sollempniter sunt recepti. Fuerunt autem apud illum multo tempore, sed in conversione Regis nichil penitus perficere potuerunt. Viderunt autem ibidem in exercitu virum nobilem, Regis scilicet consobrinum, de quo talia ferebantur. Cum iste nobilis adhuc gentilis febre acutissima laboraret, in extasi ad celum ascendente in furia raptus est, et dormientibus omnibus qui circa illum erant, aufugit nudus, et tribus diebus et tribus noctibus per heremum vastissimam oberravit. Tertia vero nocte digesta mania, cessavit et ad se rediit corpore mitior. Quod in tenebris horrens solitudinem, quid faceret, quo se verteret nesciebat. Et post istas moras densissimas tenebras vidit in montis cacumine ignis lumen. Reptans igitur manibus et pedibus ascendit in montem, et ecce super omnem solem fulgorem regem admirabilem videt in throno aureo residentem, et ad eius dexteram reginam incomparabili decore fulgentem. Videt insuper seniores et iuvenes in thronis aureis residentes, militibus ex omni parte vultibus sideris rutilantes. Hic ut vidit gentilis, super id quod credi potest obstupuit. Post modicam moram unus militum a rege missus albis vestibus nudum induit et ad regem duxit. Cui rex: Nichil aut in rebus humanis simile quod vidisti? Et ille: Nichil ignotum domine. Et rex ad eum: Ego sum ihesus christianorum deus, rex et dominus secundum prophetas. Tu autem redibis ad populum tuum et perges in terras in gente hungarica que vicina est genti tue, duos presbyteros christianos et socios tecum ducens, a quibus erudieris ad normam fidei christiane. Hic ut audivit gentilis, renuit barbarorum societate frustrari. Et mox ad eum rex: Impossibile est igitur talem te remanere nobiscum, sed si christianorum fidem receperis ut precepi, societate ista iocundissime perfrueris. Hoc dicto, miles sedens in equo albo recepit illum et in exercitum Tartarorum per solitudinem reduxit. Fuerunt apud illum diebus tribus et post repente disparuit. Nobilis autem ut iussus erat presbyteros quesivit et invenit et eruditus ad finem cum militibus Tartarorum sacrum baptisma recepit et christiane perinde ac sancte vixit. Vestes autem quas ut diximus nudus accepit preciosi coloris erant ac mollities. Opus autem earum plumarium idest ex acu factum aditum non potuit nec textorum, sed super omne artificium hominis divina virtute confecte. Deum igitur viventem fratres missi a rege Francie sepe viderunt, et postea reversi in Gallia fratribus rem gestam narraverunt.

In fine libri habetur aliud.